
P R A E F A T I O.

Q uotidie nova medicamenta depraedican-
tur, et quisque fere, qui nomen Medici pro-
fitetur, artem salutarem farragine medicamen-
torum amplificare studet. Nonne igitur cui-
que Medico curae cordique esse debet, om-
nem navare operam, ut quodcunque medica-
mentum publici juris factum rite disquirat et
vsum ejus magis determinet. Nonne huc etiam
barytes salitus pertinet? cujus tamen vires a
pluribus experientissimis viris, Anglis *) et
Germanis **) celebratae fuerunt. Sed adhuc

est

*) DUNCAN, (*Medical Commentaries* Dec. II. Vol. 10. p. 435.)
Adair CRAWFORD, (*Sammlung auserlesener Abhandlungen zum Gebrauch practischer Aerzte*. Leipz. 89. Bd. 13. S. 691.) HAMILTON. (*On scrophulous affections* 1791.)

**) Inter hos nominò Ill. HUFELANDIUM. Praeceptorem maxime devenerandum (*Erfahrungen über die Kräfte und dem Gebrauch der salzsauren Schwererde in versch. Krankheiten*, Erf. 1792.) et KLOHSIUM (*Medicinische Bemerkungen über die Wirksamkeit und den Gebrauch der salzsauren Schwererde*, Zerbst 1795.) nec non Ioa. Sigismundum GOERLINGIUM, (*De terra ponderosa salita*, Erford. 1792.)

est lis sub iudice, an hoc medicamentum eiusmodi possideat vires, vt aliis ejusdem classis medicamenti palmam praeripere possit? Qua de re cum mihi sit imposita lex, secundum mores Majorum argumentum quoddam pro summis in arte salutari honoribus obtinendis pertractare, mecum constitui hanc materiam iterum disquirendam sumere et periculum facere, num meis quibuscunque observatiunculis, una cum aliorum Cl. Virorum observationibus, quibus placuit precibus meis hac in re cedere, ad uberiores effectuum huius remedii dilucidationem aliquid conferre possem. Hac via vero incedens, hocce opusculum duabus sectionibus comprehendi, quarum altera historiam vberiores huius remedii, altera practica continet. Quod reliquum est, ignoscas, Lector beneuole, tironi medico, si plura nec rite et ornate dicta, nec omnibus absoluta fuerint numeris,